



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Vvlcano Illvstri Regi Dalmatiae & Diocliae.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20006

Romani Pontificis Lib. I.

299

ABBATI DE FLORE.

Epist. 514.
Quod professio
aliquae habita
edita obligat.
Cap. Porrectā.
Deregularibus.

Porrectum nobis ex parte tua petitorum continebat quod I. Canonicus Acheruntinus infirmitate gravatus, votum, ut fieret monachus, se asservit emissus. Vnde metuens ne voto decederet non completo, junctis manibus tibi se reddidit in monachum & in fratre. Alij quoque in absentia tua sese in sacerdotum manibus monachos fieri devoventes, sani facti, ad vomitum redierunt. Et cum familiares monasterij tui antea exitissent, quia non fuerunt ad antiquam familiaritatem admissi, adversarij facti sunt pro amicis. Vtrum ergo talium facta dissimulare valeas, ne fiant deteriores, an compellendi sint ad complenda promissa, per nos postulas edoceri. Nos ergo inquisitioni tuæ taliter respondemus, quod cum monachum faciat non habitus, sed professio regularis, ex quo à convertendo emititur, & recipitur ab Abbe, talis ut fiat monachus & reddit Domino quod promisit erit utique non immerito compellendum. Datum ut suprā.

I. CAPPELLANO & S. Subdiacono nostris, apostolicæ sedis Legatis.

Epist. 515.
Illis ad Regem
Dalmatinum Le-
gatos facit.
Vide infra epist.
515. & lib. 2.
qib. 276. Cif. pagg.

Apostolicæ sedis auctoritas, quæ per diversas mundi partes plenitudinem obtinet potestatis, illius sequens vestigia qui beato Petro *Pasce oves meas* tertio replicavit, in partem sollicitudinis viros evocat providos & discretos qui gregem Domini & pabulo salutis reficiat, & viam eis aeternæ felicitatis ostendat. Ad quorum siquidem auxilium, & juvamen, ut ecclesiastica potestatis auctoritas in sua semper maneat firmitate, cum requirit necessitas, aliquos à suo latere dirigit & transmittit, quibus legationis injungit officium exercendum. Hac itaque consideratione diligenter induci, & carissimi in Christo filij V. illustris Regis Dalmatiæ & Diocliæ precibus inclinati, qui ut ad eum Legatos mittere deberemus instantissime postulavit, vos, de quorum probitate nos & fratres nostri plenam fiduciam obtinemus, ad Dalmatiæ & Diocliæ provincias ipsis vobis auctoritate praesentium legationis officium injungentes; ut quæ inveneritis corrigenda corrigatis,

destruatis & evellatis superflua & nociva, ædificetis & plantetis utilia & honesta; quatenus cum Domino dante redditis talenta, vobis redditis credita duplicata, & à nobis & fratribus nostris valeatis in Domino multipliciter commendari. Datum Laterani VI. Idus Ianuarii.

VULCANO ILLUSTRI REGI Dalmatiae & Diocliæ.

Epist. 516.
Vt Legatos apo-
stolicos reve-
renter accipiat,
& officium suū
exequi permit-
tar.

Vt evidenter evangelica doctrina pateret, & in omnem terram, juxta verbum propheticum, sonus Apostolorum exiret, & in fines orbis terræ verba diffunderentur ipsorum, noster Dominus & magister, qui præbuit nobis exemplum ut sequamur vestigia ejus, discipulos suos per universas mundi partes ad prædicandum direxit, dicens eis juxta evangelicam veritatem: *Euntes in mun-
dum universum, predicate Evangelium omni creature.* Quam siquidem observantes constitutionem providam & salubrem Rom. Pontifices, Vicarij Iesu Christi, qui in beato Petro Apostolorum principe ab ipso Domino receperunt plenitudinem potestatis, & constituti sunt super gentes & regna, ut juxta verbum propheticum evellant & destruant, ædificant & plantent, quia suam non possunt ubique præsentiam exhibere, per varia mundi climata à suo latere aliquos dirigunt & transmittunt, qui fideles in fide consolident, corrigenda corrigant, de agro Domini nociva destruant, & utilia plantare procurent. Intelligentes igitur per literas tuas nostro apostolatu præsentatas tuæ devotionis ardorem, quod videlicet Rom. Ecclesiam matrem tuam super omnia post Deum diligere & honore proponis, & mandatis nostris omnibus inhærere, juxta quod à nobis tua nobilitas postulavit, dilectos filios Io. Capellanum & Simonem Subdiaconum nostros, de quorum scientia & probitate nos & fratres nostri plenam fiduciam obtinemus, de fratum nostrorum consilio ad partes tuas duximus dirigendos, per apostolica tibi scripta mandantes quatenus eos tanquam apostolicæ sedis Legatos benignè recipias, & honestè pertractes, & quæ secundum Deum in partibus ipsis duxerint statuenda suscipias humiliter, & sine refragatione conserves; ut cum ad nos Domino dante redierint, nobis referre valeant tuæ de-

Pp ij

votionis affectum, & Rom. Ecclesia tuis efficacius possit intendere incrementis. Nos enim eis dedimus in mandatis ut apostolicam in te confirmantes doctrinam, reformatum quidquid invenerint reformandum, & tanquam membra capiti apostolicæ sedi conformantur, in ipsius devotione pariter & obedientia solidantes: per quos etiam Pallium, plenitudinem scilicet pontificalis officij, venerab. fratri nostro Dioclien. Archiepiscopo transmittimus, ut in partem nostræ sollicitudinis evocatus, sine defectu valeat officij sui debitum adimplere. Datum ut suprà.

Scriptum est super hoc in eundem ferè modum uxori ejusdem Regis. In e. f. m. nobili viro S. magno Iupano. In e. f. m. uxori ejusdem S. magni Iupani.

Epist. 527.

In eundem ferè modum Dioclien. Archiepiscopo usque ad verbum adimplere. Quibus etiam pro nobis & successoribus nostris fidelitatis juramentum, quod tibi sub Bulla nostra mitrimus inclusum, devote studeas & humiliter exhibere.

Epist. 528.

In eundem ferè modum Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, Ecclesiarum Pralatis, & aliis Clericis per Dalmatiam & Diocliam in regno carissimi in Christo filii nostri Vulcani illustris Regis Diocliæ & Dalmatiae constitutis, usque ad verbum solidantes.

EPISCOPO ET CAPITVLO Tripolitan.

Epist. 529.

Vt Raimundo primò vacaturum canoniciatum & præbendam conferant.

Cum ex apostolatus officio, quod, licet indigni, suscepimus, ad universos extendere curam provisionis apostolice teneamus, specialius illis adesse volumus & debemus qui clericali militie deputantur: inter quos illos duximus non immerito præferendos, de quorum meritis laudabilis conversatio & contraria nobiscum familiaritas, dum essemus in minori officio constituti, nos efficit certiores. Hinc est quoddilectum filium Raimundum Clericum Ecclesiae vestræ, quondam familiarem nostrum, universitati vestræ solicite commendantes, rogamus attentiū, & per apostolica vobis scripta mandamus atque præcipimus quatenus eum pro reverentia beati Petri & nostra in Canonicum vestrum & fratrem tam libenter quam liberaliter admittatis, cum præbenda stallum eidem in choro & locum in Capitulo tan-

quam uni de vestris Canonicis, occasione, contradictione, & appellatione cessantibus, assignantes. Sic autem has primitias precum nostrarum reverenter admittere studeatis, ut devotionem vestram debeamus proinde commendare, & vos in vestris petitionibus efficacius exaudire. Alioquin venerabili fratri nostro Patriarchæ Antiocheno dedimus in mandatis ut vobis cessantibus efficere quod mandamus, ipse id, remoto appellationis obstaculo, exequatur, contradictores quoilibet ecclesiastica censura percellens. Datum Laterani II. Kal. Ianuarij.

Scriptum est super hoc Patriarchæ Antiocheno.

V N I V E R S O C L E R O & populo Cremonensi.

Qvia pietas promissionem habet vitæ quæ nunc est & futuræ, justus & misericors Dominus fideles suos, quos prædestinavit ad vitam, frequenter in hac vita glorificat, & semper in futura coronat; quibus & per Prophetam promittit: *Dabo vos in laudem, gloriam, & honorem in cunctis populis. & per se pollicetur: Fulgebunt iusti sicut sol in regno patris eorum.* Mirabilis enim in se ipso Dominus, mirabilis in sanctis, mirabilis in omnibus operibus suis, verum nobis exhibet suæ virtutis indicium, & frigescit in pluribus caritatis igniculum, mirabilem suorum signis accedit, assumptis in gloriam suam qui certaverunt legitime in hoc mundo, ad memorias eorum innovat signa, & miraculia juxta Prophetam immutat; ut qui sanctus est apud ipsum, sanctus etiam ab hominibus habeatur; & in hoc præsernit hæreticorum confundatur perversitas, cum ad catholicorum tumulos videant prodigia pullulare. Licet autem, juxta testimonium Veritatis, sola finalis perseverantia exigatur ad sanctitatem animæ in Ecclesia triumphantem, quoniam qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit; duo tamen, virtus videlicet morum, & virtus signorum, opera scilicet pietatis in vita, & miraculorum signa post mortem, ut quis reputetur sanctus, in militanti Ecclesia requiruntur. Nam quia frequenter angelus Satanæ se in lucis angelum transfigurat, & quidam faciunt opera sua bona, ut videantur ab

Epist. 530.
De S. Homoboni vita, miraculis, & coniunctione.
Vide Barnianum
ad diem 1. Novembris.